Quelle: http://manuscripta.at/?ID=944
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Marcus antoninus imperator .xvii. est.

reptus interiit. Anno ab urbe condita .dccccxi. marcus an
toninus uerus .xiiii. ab augusto regnum cum lucio commodo fratre
suscepit. mansitque in eo annis .x. et .viii. Hi primo rem publicam equo
iure tutati sunt. bellum deinde contra parthos admirabili uirtute et fe
licitate gesserunt. Marcus antoninus uerus ad id bellum profectus est. Uo
logesus .u. rex parthorum graui eruptione armeniam. cappadociam.
siriamque uastabat. sed antoninus per strennuissimos duces magnis rebus
gestis seleuciam isaurie urbem super ydaspen fluuium sitam cum .cccc.
milibus hominum cepit. et cum fratre de uictoria parthica triumpha
uit. ac non multo post dum cum fratre in uehiculum sedit. casu morbi quem
appoplexion greci uocant suffocatus interiit. Eo defuncto marcus
antoninus solus rei publice prefuit. sed in diebus parthici belli persecutio

Quarta post neronem christianorum persecutio.

nes christianorum quarta iam post neronem uice in asia et in gallia gra
ues precepto eius extiterunt. multique sanctorum martirio coronati sunt. Secuta est
lues plurimis infusa prouinciis. totamque italiam pestilentia tanta uastauit
ut passim uille. agri. atque oppida. sine cultore atque habitatore deser
ta. in ruinas siluasque concesserint. Exercitum uero romanorum cunctasque legio
nes. per longinqua late hiberna dispositas. ita consumptas ferunt.
ut marcomannicum bellum. quod continuo exortum. non nisi nouo delec
tu militum. quem triennio iugiter apud carnuntium marcus antoninus
habuit. gestum fuisse referatur. Hoc quidem bellum prouidentia dei amminis
tratum esse. cum plurimis argumentis. tum precipue epistola grauissimi ac
modestissimi imperatoris aptissime declaratum est. Nam cum insurrex
issent gentes inmanitate barbare multitudine innumerabiles.
hoc est marcomanni. quadi. uuandi. sarmate. sueui. omnisque pene
germania. et in quadorum usque fines progressus exercitus. circumuentus
que ab hostibus. propter aquarum penuriam. tam presentis sitis. quam hostis
periculum sustineret. ad inuocationem nominis christi. quam subito magna
fidei constancia quidam milites effusi in preces palam fecerant, tanta
uis pluuie effusa est. ut romanos quidem largissime ac sine iniuria
refecit. barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos. presertim
cum plurimi eorum occiderentur in fugam coegerit. Quorum terga romani
usque ad internitionem cedentes. gloriosissimam uictoriam et omnibus pene
antiquorum titulis preferendam. rudi paruoque militum numero. sed po
tentissimo christi auxilio re[illegible]ates [illegible] portarunt. Extare etiam